

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. D. B. V. 2-1  
DISSERTATIO MORALIS,  
DE  
Consultatione,

Quam  
Adjuvante divina gratia,

In  
Celeberrimâ ad Albim Academia

PRÆSES

M. DIETERICUS OTTE,  
Horneburgò - Bremensis,

Et

RESPONDENS  
STEPHANUS ADAMI,

Kisfelykino - Transylvanus.

*Placida Philosophorum disquisitioni  
publicè subjiciunt*

Ad diem XXVIII. Novembris, M. DC. XCI.

*In Auditorio minori,*

Horis antemeridianis.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

h. III. 3708

V I R O

*Summe Reverendo, Magnifico, Am-  
plissimo, Excellentissimoque,*

**D N. JOHANNI**

**Deutschmann/**

**S.S. Theol. Doct. & P.P. consummatis-  
simo, Fac. Theol. SENIORI Venerando,  
Alumnorum denique Elect. EPHO-  
RO Primario, Gravissimo,  
Meritissimo.**

*Dn. Patrono, Præceptori, Hospiti, ac stu-  
diorum suorum Promotori, ob multa &  
prope infinita beneficiorum genera, hoc  
quicquid est, grati animi monu-  
mentum consecrat*

Biga Commensalium

**PRÆSES**

&

**Respondens.**



I. N. J.

**U**emadmodum apes peragunt  
opus suum, non statis diebus, sed quoties  
Cœli commoditas invitât: Ita suo quæque  
tempore rapienda est occasio, dicit (a) Plinius na-  
tur. Hist. libr. 11. cap. 7. His omnes ac singulos casti-  
gans, qui nimis festinanter actiones suas ad finem  
sine consilio, sine prudentiæ arbitrio dirigere co-  
nantur. Ex eo certè venit, quod tot mala dicta  
proferantur, & tot mala peragantur facta, quoni-  
am consultatio debita negligitur, imò res & even-  
tus ejus vento traditur. Tenemur igitur, juxta  
Historicum superius allegatum omnes nostras a-  
ctiones, quæ à nobis fieri possunt, in Consilium ac  
consultationem vocare, quod si hoc fecerimus, res  
nostræ expeditu faciliores erunt. Atque cum tan-  
ta sit in humana vita Consultationis necessitas & u-  
tilitas; ideo nostri nunc est instituti, de Consultatio-  
ne verba quædam facere. Hoc autem ut felicem  
consequatur eventum, ante omnia DEUM T. O.  
M, in consilium & auxilium adhibebimus, ut co-

A 2. . . . . nati-

(a) Plinius natur. Hist. libr. 11. cap. 7.

nātibus nostris secundio rem cursum & benedictio-  
nem coelestem adjicere velit, quo præsens noster  
scopus dirigatur in DEI gloriam, Ecclesiae S. Scholæ  
emolumentum & Patriæ gaudium.

§. I.

**A**ggredimur itaque quod instituti jam laudati est, Con-  
sultationis Moralis enarrationem, & primum omni-  
um perpendimus consultationis definitionem nomina-  
lem, cum à consideratione Nominis tractatio quavis me-  
thodica suum accipere tenetur Exordium. Primum,  
quod Etymologiam Consultationis concernit, apud o-  
mnes in confesso est, quod hoc nomen descendat à verbo  
consultare, quod frequentativum grammatici dicunt, ex  
consulere.

§. 2.

Consultationis vox quoad Homonymiam sumitur, vel  
late, vel strictè. Latè sumitur pro quacunque delibera-  
tione sive honesta sive inhonesta, sive tarda sive lenta: sæ-  
pius etiam usurpatur à nonnullis pro Consilio, quod ta-  
men simpliciter probari nequit, quia Consilium proprie  
est effectus Consultationis. Strictè accipitur pro eatan-  
tum, quæ virtutis causa est.

§. 3.

Notandum tandem circa vocem est, quod consultatio  
alio nomine quoad synonymiam dicatur deliberatio, ut  
& cogitatio: Græcè dicitur βουλευσις, Germanicè ein Beden-  
ken. Item Rathschlag/ quâ derivatione græca & ipse (b)  
Aristoteles usus fuit. Hinc eleganter dicit *libr. 3. Eth. cap. 4.*

(b) *Aristoteles libr. 3. Eth. cap. 4.*

ἢ γὰρ ἀεὶ ἀρχὴν ἀεὶ βεβηλευμένην, quod sub Electionem cadit, tale esse debet, ut de eo prius consultatum fuerit. Nam priusquam incipias, consulto, & ubi consulueris, mature factum opus est, ait (c) Sall. in Catil. cap. 1.

§. 4.

Consultatio porrò, quod notandum, à curiositate procul abesse dicitur, dum curiositas in vitio ponitur, sed Consultatio potius ad virtutem requiritur, & præcavere videtur, ne vel aliena & ad nos nihil pertinentia curemus, vel nimis alta sapiamus. Hinc (d) Gregor. Homil. 36. Grave, inquit, curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper & intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit, ut curiosus animus, quantò peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui. Euclides Philosophus, rogatus à quodam, quales essent Dii, quaque re potissimum gauderent? cetera, inquit nescio, hoc unum scio, odisse illos curiosos, ut refert (e) Laert. lib. 2. de vita Philosoph. & Maximus (f) Tyrius serm. 21. De iis est deliberandum, quæ ad nos spectant, & quorum eventus aliquo modo est incertus: deliberandum, inquam, est, quibus mediis ad bonorum fruitionem sit veniendum, Non autem omnis perquisitio consultatio esse videtur. Mathematicæ namque perquisitiones, consultationes non sunt, omnis consultatio moralis est perquisitio. Quod ultimum est in resolutione, primum esse constat in generatione. Atque si consultantes in aliquid inciderint, quod quidem fieri nequeat, maturius desistunt: ut si pecuniis sit opus, has autem habere non possint, aliud, quod videatur fieri posse, tunc agere prudenter aggrediuntur.

A 3

Ea

(c) Sall. in Catil. cap. 1. (d) Gregor. Homil. 36. (e) Laert. lib. 2. de vita Philosoph. (f) Tyrius serm. 21.

Ea vero dicuntur fieri posse, quæ per nos ipsos fieri possunt. Nam ea, quæ per alios fiunt, per ipsos citra nostram consultationem fieri possunt: quippe cum principium consultationis sit in nobis *vid. (g) Arist. lib. 3. Eth. cap. 3. ad Nicomachum.*

### §. 5.

Declarata igitur definitione nominali, paucis etiam delibabimus definitionem realem, quæ Consultatio describitur per actum intellectus practici, quo media, pro fine consequendo, diligenter investigantur, inventaque rectè dijudicantur, i. e. inquisitio mediorum ad finem, nobis acquisitu possibilem, ducentium. Apprehenso enim & prævolito possibili fine, movet voluntas intellectum ad media, huic fini proportionata, ac congrua, inquirenda; quod fit per rectam rationem, verè consultativam, ubi finis consultationis dubio procul debet esse acquisitu possibilem, vel minimum ita videri; aliàs enim frustra susciperetur consultatio de mediis. Ad hunc igitur finem omnia tanquam ad scopum diriguntur, ne consultatio nostra progrediatur in infinitum. Descriptio verò citata præter genus, quod est actus intellectus practici, continet partim consultationis objectum, partim ejus modum atque processum, quæ omnia ordine tractabimus, si prius inquisitionem causarum thematis nostri instituerimus.

### §. 6.

Causam efficientem principalem primam dicimus esse

(g) *Arist. lib. 3. Eth. ad Nicomach. cap. 4.*



esse Deum, qui nostrum intellectum imò cogitationes omnes dirigit ad sui nominis gloriam & causæ secundæ benè h. l. consultantis ἐπέπρηταιον. Causa vero principalis secunda consideratur vel ut Principium quod: sic homo consultans, cum primis vir prudens, suæ consultationis est causa principalis: Vel ut principium quo: sic anima rationalis veræ consultationis est principium, quia si mente destituti essemus, nullo modo consultationem instituire possemus, ubi subjectum simul innuitur. Hinc in bruta, quoniam ratione carent, nulla cadit consultatio. Notandum autem, quod anima rationalis non immediatè, sed potius mediante facultate quadam consultationis causa fiat, unde juxta descriptionem Consultatio dicitur actus intellectus practici, qui hac ratione non immeritò proximum consultationis dicitur esse principium.

### §. 7.

Causam finalem introducimus esse omnia bona, quæ etsi non sint verè bona, tamen apparenter bona esse videntur. Illa directè dicimus bona; hæc verò indirectè. Nam ob nullum alium finem consultamus, quam ut bonum aliquod adipiscamur & malum avertamus, cum & aversio mali non citra causam inter bona numeranda veniat.

### §. 8.

Causam materialem seu Objectum ipsum non statuimus esse finem ipsum, quia talis; sed ad finem potius  
facere

facere vel ducere, quod revera sunt media, circa quæ nostra versatur Consultatio. Interim versatur illa nequam circa media contemplabilia, aut factibilia quatenus illa sunt artium & laborum externorum; sed potius agibilia; neque circa divina necessaria ac naturalia; sed circa humana & contingencia, & hac ratione non circa aliena, & ad nos non pertinentia, sed circa propria, & ad nos spectantia; non circa certa atque jam determinata, sed incerta & dubia: non circa præterita, sed futura: non circa impossibilia, sed quæ ab homine vel per nos fieri possunt: non circa fortuita, sed quæ nostri sunt arbitrii: *Vid. Collegium M. S. Spectatissimi Dn. Röhrensees / Præceptoris nostri ad cineres usq; submissè colendi.* Ad singula (quo res clarior fiat) unum vel alterum adjiciamus exemplum, vel simile.

## S. 9.

(1) Consultatio non circa contemplabilia, aut factibilia sed agibilia versatur. Ratio, quoniam Contemplabilia sub actionem non veniunt. Factibilium vero materia jam determinata est. (2) Non circa divina, necessaria, ac naturalia, sed circa humana & contingencia. Sic nemo nisi ἡ λήθιος ἡ μαινόμενος consultat, quomodo æterna DEI Omnipotentia, Misericordia, Justitia &c. immutari possint, atq; destrui: pari modo res cum necessariis se habere videtur. Necessaria enim sunt, quæ consilio nostro non egent, neque consiliis nostris vel produci vel promoveri, vel evitari possunt. Hinc *Thales* interrogatus, quod esset in tot rerum natura robustissimum

(b) *Vid. Excellent. Dn. Röhrensees C. M. S.*

simum, respondit, *Necessitas, superat enim omnia* (i)  
*Laert. lib. 1. de vita Philosoph.* Sic etiam *φύσιν* sive  
 naturalia. Absurdus enim foret is, qui de Solis cur-  
 su inhibendo deliberaret, item quo pacto, qui Senex  
 sit, fiat puer: qua ratione effici possit, ne expingvi-  
 bus illis terræ vaporibus multò cum fragore in nos  
 detonaturum fulmen gignatur. Naturalia enim illa  
 in nostra potestate sita non sunt, & à nobis corrigi vel  
 cohiberi non possunt: *ut sapienter à Poeta sit dictum:*  
*Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.* (3)  
 Non circa aliena, & ad nos non pertinentia, sed circa  
 propria, & ad nos spectantia, e. g. Si quis nostrum co-  
 gitaret de expellendis ex China Tartaris, aut munien-  
 da ac tutanda adversus Turcarum vim Mesopotamia:  
 aut quomodo Hispaniarum regna, & res componi  
 queant, ac pristino reddi decor, vigorique? quæ res  
 neminis defatigant industriam, nisi cui minus sanum  
 synciput est, & ex consuetudine quadam prava alia  
 omnia, quam sua magis sunt curæ, cordique. Sa-  
 nè de rebus aliorum possumus quidem speculationis  
 gratia inquirere, utrum rectè an secus se se habeant:  
 sed hoc non est nostra Consultatio, quæ est practici  
 intellectus ad operandum moventis. Quod attinet  
 opera amicorum & principum quoad consiliarios, il-  
 la etiam videntur nostra, *ut loquitur Aristoteles libr. 3.*  
*Eth. cap. 3.* (4) Non circa certa ac determinata,  
 sed incerta ac dubia; Nam si jam certi essemus de  
 hac vel illa re agenda, quid opus esset Consultatione  
 seu deliberatione. Si Consules ac Senatores, de

B

omni-

(i) *Laert. lib. 1. de vita Philosoph.*

(k) *Arist. libr. 3. Eth. cap. 3.*

omnibus iis, quæ in curia proponere in animo habent, certi essent, quid opus foret eorum ulteriori deliberatione & consultatione? (5) Non circa præterita, sed futura; ineptè enim ageret is, qui de morte amici sui consultationem instituere vellet, quomodo vellet vitam eidem inspirare & à mortuis ipsum resuscitare; nam aliàs juxta tritum illud dici solet proverbium, *Facta, infecta fieri nequeunt.* (6) Non circa impossibilia, sed quæ ab homine & per nos fieri possunt; Intelliguntur autem impossibilia, tum juris, tum facti. Nam Consultatio circa talia aut nullum, aut infaustum eventum esset habitura, cum perinde sit, rem aliquam non posse perficere, & ab ea perficienda lege & conscientia prohiberi. Denique (7) non circa fortuita, sed quæ nostri sunt arbitrii; fortunam enim nemo vitare potest: *Magna vis est, inquit, Cic. 2. offic. in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas.* Nam & cum prospero statu ejus utimur, adoptatos exitus provehimur, & cum reflavit, affligimur. Magnam quidem Ethnici fortunæ vim tribuerunt, sed nos eam DEO tribuere, æquum est, eaque fortuita vocare, quorum certas causas indagare non valemus, quoniam priorum nulla datur scientia, ergò nec consilium in iis locum habet. De his, cum sensibus sint obvia, non consultamus.

## S. IO.

Genuina igitur sanæ Consultationis objecta  
erunt.

(1) Cic. 2. offic.

erunt, quæ plerumque usu veniunt, & exitus in certos habent, hoc est, quæ vel benè, vel malè, vel tardè, vel citò, vel melius, vel optimè à nobis fieri possunt. De his enim, ut congruè, fiant, vel soli vel cum aliis deliberamus.

## §. II.

Absoluto igitur Objecto sive causa materiali, paucis etiam declarabimus Subjectum Consultationis. Subjectum enim esse omnes homines, mentis compotes, nemini ignotum erit. Omnes enim omninò homines hic præsupponuntur, sive sint Judæi sive Ethnici, sive Christiani, sive Turcæ. Omnes enim Consultationi locum dare posse, nemo in dubium vocabit.

## §. I2.

Causa nunc formalis, sive modus atque processus, ad delibandum nobis sistitur. Modus Consultationis atque Processus consistit (1) *In Mediorum inquisitione*, quorsum pertinet (a) diligens finis sive scopi consideratio (β) attenta mediorum observatio, quoad quantitatem & qualitatem, ubi quoad quantitatem assumenda sunt media pauciora, præ pluribus atque superfluis, quoad qualitatem assumenda sunt media apta, honesta, possibilia atque facilia, & rejicienda media inepta, inhonesta, impossibilia atque nobis maximè difficilia (2) *In Medio-*

B e

11113

*rum dijudicatione*, qua intellectus practicus (α) me-  
diorum naturam discernit, eadem seorsim & con-  
junctim examinando. Seorsim expendit eorum na-  
turam, tum in se, tum ratione accidentium. Priori  
modo de bonitate eorum maximè sollicitus est, quæ  
vel magis vel minus est evidens. Priora sine ulte-  
riori disquisitione admittit, & actui sequenti refer-  
vat. Posteriora ulterius examinat, utrum probabi-  
lem, aut dubiam, aut apparentem habeant bonita-  
tem. Priora cum formidine appositi approbat, po-  
steriora relinquit in mediò, ultimis alia substituit.  
Ratione accidentium intellectus probè attendit cir-  
cumstantias, quæ actus moralitatem variare possunt.  
Conjunctim intellectus perpendit media instituendò  
comparationem inter ea, & videndò quæ magis ido-  
nea & meliora, quò factò superflua, inepta & mi-  
nus bona rejicit, quæ autem ad finem obtinendum  
faciunt, retinet. (β) Media discreta justè disponit,  
more resolutorio, incipiendo à principio quodam,  
ad quendam terminum. (γ) è ritè dispositis mediis  
certi aliquid concludit, (δ) Plenariam eorum, quæ  
conclusa sunt executionem voluntati denunciat, &  
dictitat: non irrefragabili quodam imperio, sed in-  
terna quadam locutione, qua voluntati significat, &  
svadet, quid agendum sit, svadendoque movet, ut  
proficuum exequatur, nocitura verò defugiat. Hic  
est Processus sive modus Consultationis, quem Ex-  
cellentissimus Dn. P. (m) Röhrensee / p. t. Decanus  
Spectatissimus, Patronus ac Præceptor noster æternum  
deve-

(m) Vid. Röhrensees C. M. S.

de venerandus alterius in Collegio M.S. explicavit, nobis  
pauca quadam adjicere licet.

### §. 13.

Circa initium duo notanda veniunt (1) ut  
certus ponatur scopus, ne vagabundi huc & illic fe-  
ramur, & consultatio tandem progrediatur in infini-  
tum, ita oleum & operam perdemus. Monet hanc  
in rem rectissime (n) *Aristoteles ad Eudem. l. 2. c. 19.*  
*Qui deliberat, agens semper certa aliqua utilitas, tan-*  
*quam scopus, deliberanti proposita. Eo & (o) Tacitus*  
*tendit libr. XI. Ann. cap. 2. §. 2. asserens, nihil à quo-*  
*quam expecti, nisi cuius fructus ante praeviderit, (2)*  
ut assumantur in rebus gravioribus socii. Sanè qui-  
dem invenias interdum homines, qui foris sapiant  
haud stultè, & instruere alios saluberrimis consiliis  
possunt; at cogitare feliciter, sibi quod ex usu fiet,  
hoc opus, hic labor est.

### §. 14.

Media quod attinet, ibi duo rursus probè re-  
nenda (1) per quæ media finem propositum possimus  
assequi. Hic ad duo respiciendum denuo (a) ad nu-  
merum sive quantitatem, an nimirum paucis sit opus,  
an vero pluribus mediis. Hæc, si per illa datur asse-  
qui, quod velis, repudianda juxta tritum istud: *Quod*  
*fieri potest per pauca, non debet fieri per plura.* Mul-

B 3

ritudo

(n) *Arist. ad Eudem. l. 2. c. 19.*

(o) *Tacitus libr. XI, Ann. c. 2. §. 2.*

titudo enim confusionem infert (β) ad qualitatem; an sint nimirum ea, per quæ ad finem deveniendum nobis, honesta, facilia, possibilia nec ne? Sic malè agit, & militis munia turpiter deserit, qui in prælio, ut vitæ consulat, fugam meditatur.

### §. 15.

Quod (2) concernit media Consultationis, inquirendum, quomodo mediis sit utendum. Ubi itidem monemus (α) eò usque investiganda media esse, donec perveniatur ad ultimum, sine quo cætera haberi non possunt. (β) Cogitandum esse, an ea, quæ ad finem acquirendum facere posse jam vidimus, per nos solos geri possint. Sin minus, adjungamus nobis laborum socios, juxta trituum; *multorum manus levant onus*. (γ) Considerandum, quibus indigeamus instrumentis, ad perficiendum id quod destinavimus nimirum de commodis consultandum est instrumentis; idq; pro ratione & diversitate rei ipsius, quæ peragenda suscipitur. Aliquando enim utendum est operæ vel amicorum, vel servorum, vel jumentorum, quæ instrumenta *ἑμψυχα* animata dicuntur. Nonnunquam præterea accedere oportet *ἀψυχα*, in animata, ut gladium, securim &c.

### §. 16.

Pauca adhuc dicenda restant de iis, quæ in modo consultandi notatu digna sunt circa finem. Videlicet ne deliberata sint impossibilia. Si ergò possibilia



lia esse constet, dispicienda est opportuna executionis  
ocasio. Cape tibi de his *lib. 1. Off.* pulcherrimum (p)  
Ciceronis monitum: *Ad rem gerendam, ait ille, qui ac-*  
*cedit, caveat, ne id modo constituat, quàm res honesta*  
*sit, sed etiam, ut habeat efficiendi facultatem & occa-*  
*sionem.*

## §. 17.

Effectum Consultationis dicimus esse Execu-  
tionem; Ratio in promptu est, quod si consultantes  
inciderint in aliquod, quod fieri nequeat, desistunt:  
si vero fieri possit, aggrediuntur: & declarat illam  
partem, quo modo intelligatur id agi à nobis posse,  
dicendo non tantum, quæ per nos ipsos, sed etiam  
quæ per amicos possumus. Sunt enim amici, tan-  
quàm instrumenta, & quemadmodum instrumento-  
rum usus principium est in nobis: Ita & amicorum  
esse videtur.

(p) *Cic. lib. 1. Off.*

## TANTUM

Gloria fit Patri, fit Nato Gloria  
Sancto

Gloria Spiritui: Triadi fit Gloria  
Sacrae. Amen.



Ad Clarissimum DN. M. PRÆSIDEM,  
Fautorem & Amicum pl. honorandum:

**N**Unquam eorum se mihi probavit ratio, qui, utcumq;  
sic satis in literis profecerint, non tamen prodire in  
publicum, comparataq; doctrina dare specimen su-  
stinent, sed domi delitent, & ut cum Poëtâ loquar,  
taciturni inertes tineas pascunt. Nam cui bono eruditio,  
quæ non communicatur cum aliis? Quid pro sunt literæ in-  
vestiti velut secreto conclusæ? Loquendum, ut videamur,  
nec aliis eripienda copia est de nostris profectibus judican-  
di. Qui si laude digni reperti fuerint, ut majoribus rebus  
admoveamur faciunt, ignorati negliguntur. Enimverd  
non is sum, qui cruda juvenum studia in publicam propel-  
lere lucem jubeat, ac semper mihi displicere, qui ubi quæ-  
stiones quasdam steriles ac ineptas, tantumq; altercationi  
comparatas, quodammodo imbiberunt, opinione solidioris  
scientiæ inflantur, & ex PLINII scito, statim sapiunt, sta-  
tim sciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem,  
atq; sibi ipsi exemplo sunt. Nam & prudentioribus hoc ipso  
se deridendos propinant, & serò nimis experiuntur, se iis re-  
bus florem annorum impendisse, quæ, postquam maturuit  
judicium, propemodum pudoris sint. Hæc mea mens est,  
hauriendas primùm solidè, ac bono ordine optimas artes, ac  
deniq; luci hominum exponendas. Quod dum impræsens  
agis, Præses Politissime, ut NUMEN sanctissimum bene  
prosperet institutum Tuum, ac exoptatum studiis largiatur  
eventum, precor Tuus.

Wittenbergæ, VI. Cal.  
Decembr. cl. lxxxi.

ex animo

CHRISTIANUS Röhrensee/ P. P.  
& Elect. Alumn. Ephorus, nec non Ord.  
Phil. Decanus.

AD CLARISSIMUM ET PEREXIMIUM  
DN.M. DIETERICUM OTTEN,  
PRÆSIDEM PUBLICUM,  
DE CONSULTATIONE  
DISPUTANTEM.

**C**LARISSIME, atque PEREXIMIE DN. MAGISTER,  
CONVICTOR HONORANDE, *Causa, vel Anima*  
*totius Vitæ nostræ Consilium est, sed recta Consultatio*  
*Consilii boni dicitur Anima. Felices igitur illi sunt, qui*  
*rectæ Consultationis studiosi sunt, & amatores, & Consiliorum*  
*bonorum admiratores & sectatores, & hoc modo vitam ad*  
*Consiliorum laudatissimorum regulam examinant, atque for-*  
*mant. Vera certe promanat inde Felicitas. Philosophi*  
*Gentiles etiam in Consultatione Principium Actionum lauda-*  
*tissimarum posuerunt; quid de Christianis sapientioribus di-*  
*cendum erit. Ubi viget Consilium, ibi vita floret Curricu-*  
*lum. Ubi Consilium langvet, ibi vita felicioris nullum flori-*  
*legium. Qua de causa, CLARISSIME DN. CONVICTOR,*  
*recte studiis tuis currentibus, & crescentibus, consulis, dum*  
*primum Tui PRÆSIDII, quod vocant, à Consultatione nunc*  
*initium facis, & felix in Hac laborum tuorum publicorum*  
*auspiciis ponis. Quod feliciter inchoatur, & feliciter con-*  
*tinuatur, per Cœli favorem felicissime terminatur. Bene*  
*certe cunctis studiis tuis, & universis aliis vitæ totius ratio-*  
*nibus consules, si nihil absq; matura Consultatione suscipies,*  
*& cuncta per eandem perficies. Amentes, & stulti sine Con-*  
*silio vivunt, & imprudenter, utinam non infeliciter! in omni-*  
*bus agunt. At Viri sapientes ex consilio vitæ cunctas expedi-*  
*tiones ducunt, easdemq; prudenter, vereque feliciter in eo-*  
*dem cum DEO finiunt. Perge proinde Bona Consultationis*  
*viam ingredi, & ad Optimorum consiliorum regulam in ea-*  
*dem progredi, sic ad veræ felicitatis metam digredi poteris.*

C Adsit

Adsit huic instituto *Consiliarius Aeternus*, & *Spiritu Consilii*  
totum *studiorum*, & quarumvis aliarum *actionum* *cursum*  
dirigat ad *Nominis sui Gloriam*, *boni publici commoda*. *Tuo-*  
*rum Gaudium*, ac ipsius *Vita felicissimum Eventum!* *Fiat!* In  
*Nomine JESU FIAT!* Hoc ex intimis precatur *Tibi, Tuisq;*  
*Studiis*, efficacissimis votis **A DOMINO**

*Dab. Witeb.*  
*D. XXIV. Novembr.*  
*Anno MDCXCI.*

**TUÆ CLARIT.**  
**Studiosiff.**

**JOHANNES Deutschmann/D.**



**P***hilosophum* magnâ dum scandis laude *Cathedram*,  
Ulteriùs cæpta, apprecor, ipse *Jehova* secundet.

*Exiguus hifce Dn. M. Presidi*, commensali atq;  
*Amico suo per dilecto* gratulabatur

**M. Abr. Henr. Deutschmannus,**

*Facult. Philos. Adj.*



**C**ONSILIO stat res: sibi nec bene CONSULIT ille,  
Qui non CONSULTO perspicit id, quod agit.  
Quod ratio svadet, quod gloria CONSILIATUR,  
Hoc age: laudatus CONSILIATOR eris.

*Ita Clarissimo Dn. Civi suo de Consultatione publicè*  
*pro presidio disputanti bene ominari*  
*voluit*

**Albertus Lüders, Stadenf.**

*LL. Stud.*



**S***it Sapiens, sit desipiens, CONSULTAT uterq;*  
*Ut Mens CONSULTRIX sana, lubido vel est.*

**Hos**

*Hos finis separat. Nam CONSULTATIO praestat  
Hac, quam CONSULTAM dixerit ortus honos!*

Hisce constantem erga Honoratissimum Do-  
minum conterraneum suum affectum,  
apricari voluit, debuit

David Wehner, Buxdeh.

LL. Stud.



**D**er Rath geht vor dem Werke.

Es will bey keinem nicht gleich eingekumpet seyn:

Wer sich nicht wohl beräth /

Und am unrechten Orte säht /

Darff keine Erndte hoffen.

Ists blindlings einst getroffen /

Triffts doch nicht allemahl mit solchem Wagstück ein.

HEINRICH OETTER guter Rath /

Der ihm stets bengewohnet /

Ists / der Ihm igo hat

Mit grossem Ruhm belohnet /

Drumb thut Er diesen Spruch : Der Rath geht vor dem  
Werke!

Gratulabundus pos.

Petrus Kühle, Stadenf.

LL. Stud.



**D**ie Tugend läffet sich zwar nicht mit Farben mahlen /

Sie bleibt dem Wesen nach den Augen unbekant;

Doch giebt sie jederzeit von sich gar helle Strahlen /

Die ihrer Gegenwart sind ein gewisses Pfand.

Es kan kein Diamant so schön im Golde glänzen /

Ja selbst der Sternen Schein muß hie zurücke stehn /

Was Purpur von sich giebt / hält sich in engen Gränzen /

Nur diese läffet sich ganz unvergleichlich sehn.

E 2

In

In diesen ihren Glanz kan Er/ Hochwertber/ prangen/  
Wenn der gelehrten Welt Er sich so rühmlich zeigt/  
Es muß sein theurer Nahm zum Sternen hingelangen/  
Wohin die edle Schrift mit allen Zeilen reicht.

Hiermit wolte dem Herrn Praesidi, als seinen geneigt-  
werthesten Freunde glückwünschend aufwarten

M. Tobias Sutorius, Stockheimio Pruss.



**C**onsilio gravi metiri quoslibet actus,  
Vere prudentes arguit usque viros.  
Hinc, sapiens nobis quid Consultatio profit,  
Differis egregie, quin satis ipse probas.  
Consulte factum. Doceas nunc rite Juventam,  
Consulto Patres praemia digna dabunt.

His Praeclarissimo atq; Nobilissimo DN. PRÆSIDI, Fautori atq; Amico  
suo ob virtutes plane singulari, de erudita Disputatione &  
adeptis per eandem docendi privilegiis gratulab.


M. Andreas Töpffer/ Wernigeroda-Saxo.



**G**randia dum volvis, dum Consultatio quid sit?  
Pandis, tunc vires ingeniumque probas.  
Hinc Tibi pro meritis numerabit praemia PALLAS,  
Et schola Doctorum munera digna parat.

Pauca hac in benevolentiae suae fidem Clarissimo Dno. Praesidi apposuit  
Respondens,

Stephanus Adami, Transylv.



**O**TTONUM quis gesta negat, quis nomina nescit?  
Quos inter PRIMUS dicitur ORBIS AMOR.  
Omen habes OTTO, quid enim TIBI praemia defint?  
Quem patriae & Musis optima scripta probant.

Clarissimo Doctissimoq; Dn. Praesidi, Commensali, Fautori atq;  
Amico singulariter colendo gratulab.  
scrib.

Joh. Henrich Steffens, Elsflehto-Oldenburgens.



21 mg. VI 37


ULB Halle  
003 913 872 3




Sl.

V3 17









Farbkarte #13

B.I.G.

B. V. 21  
D MORALIS,

atione,

vina gratia,

*Albim Academia*

SES

EUS OTTE,

Bremenfis,

NDENS

IS ADAMI,

ransylvanus.

rum disquisitioni

icium

embris, M. DC. XCI.

minori,

eridianis.



BERGÆ,

SCHULTZII.

h. III. 3708

